

Hecubam et Orestem habet, sine glossis ac scholiis. Manus diversa Orestem exscripsit, et quidem paullo minus elegans.

*Auct.* F. 3, 25, forma quadrata, codex est bombycinus, subcrassus, saec. XIV. et ut videtur valde bonus. Continet inter alia scripta Vitam Euripidis, Hecubam, Orestem, et Phoenissas. Rara ad Hecubam scholia, glossae ubique breves interlineares. Scriptura satis perspicua et lectu minime difficilis, nisi quod evanidum est atramentum.

*Auct.* F. 4, 1, liber chartaceus, maculis et madore male habitus, forma octona, ad saec. XV. pertinens. Continet Vitam Euripidis, Hecubam, Orestem, et Phoenissas. Perpauca scholia, glossae rubrica usque ad fol. 169 scriptae, postea atramento. In fine Orest. et Phoen. desunt pauca, foliis uno et altero avulsis.

*Barocc.* 120, chartaceus, saec. XIV. vel XV, complectitur Vitam Euripidis, Hecubam, Orestem (Electram), eadem aut simili manu, Phoenissas a diversa exscriptas. Glossae adsunt interlineares et scholia non admodum frequentia, interdum lectu difficillima.

*Barocc.* 37, 3, forma quadrata minore, valde recens, Sophoclis Electram et Oedipum Regem, Euripidis Phoenissas complectitur. Liber satis elegans est, sed nullius fere pretii esse videtur. Nec scholia habet neque glossas interlineares.

*Barocc.* 34, etiam Phoenissas continet sine notis ac glossis usque ad v. 457. Codex est recens, chartaceus. Habet in fine Aristophanis Plutum.

*Laud.* 54, chartaceus est forma maxima, saec. XV. ineunte non antiquior, ut mihi videtur. Continet inter alia Hecubam ad v. 284, Orestem a v. 165 usque ad finem, Phoenissas integras.

*Canon.* 86, forma maxima, Hecubam, Orestem, et Sophoclis Ajacem comprehendit, cum glossis et scholiis rarioribus rubrica exaratis.

D'Or. x. i. 3. 13 et 14, duo sunt codices chartacei, uterque Hecubam et Orestem complectens. Alter (14) qui Thomae Magistri scholia exhibet, scriptus est elegantissime, et ad finem saec. XIV. referendus videtur. Alter (13) est valde recens, et cum evanescente atramento tum scribendi festinatione lectu subdifficilis.